



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ortv Et Progressv Ac Viris Illvstribvs Ordinis
Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de
monte Carmelo**

Trithemius, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1643

Cap. VI. De mutatione superioris habitus Fratrum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64495)

fices Ordinem ipsum confirmarunt, de quibus *Alexander* Papa III. vnus extitit, post quem *Innocentius* III. idem fecit, amborumque vestigijs inherens *Honorius* III. multis adiunctis priuilegijs, & Ordinem & Regulam denuo comprobauit. Sed de his admodum satis dictum sit, quia etsi nos priuilegia Carmelitici Ordinis non penitus lateant, tamen nostri non est propositi, in lucem ea traducere. Hoc æmulis velim sufficiat, Ordinem hunc semper probatum extitisse ab initio, & deinceps stabilem mansurum.

C A P V T VI.

De mutatione superioris Habitus Fratrum.

Quemadmodum in superioribus iam diximus, Fratres Carmelitæ suos Principes non solum moribus, sed & Habitu pro sua possibilitate imitantur. *ELIAM* vero pallio indutum fuisse, sacra demonstrat historia, quo transeunte Domino vultum suum operuit, & tangens eo Iordanem calcabilem fecit. Denique cum *Elisaum* vocaret, pallium super eo misisse legitur, quo etiam donauit eundem, dum ipse per aëra raperetur. Erat autem pallium (si veterum scriptis adhibeatur fides) rotundum, totum corpus à collo vsque ad medias tibias cooperiens, angustum superius & inferius latum, ac in anteriori parte apertum. Color autem ipsius Habitus albus fuisse dicitur, per quem interior Fratrum munditia & puritas designatur. Tali *ELIAM* pallio amictum fuisse tradunt, tali Habitu incessisse *Elisaum*, & *Filios Prophetarum*. Si quis vero hanc Habitus *ELIÆ* descriptionem contendat esse apocrypham, nullam per hoc iniuriam nobis fecerit, qui nostram opinionem non scribimus, sed præcedentium Patrum. Cappa enim Ordinem non facit, sed obseruantia pietatis. Nam quod antiqui Monachi etiam vnus Ordinis in colore Habitus

4. Reg. 2.

pallio Elia
albū fuit.

vni-

vniformes aliquando non fuerint, S. Pater *Benedictus* in sua Regula innuit, qui Monachos de colore vestium causari prohibuit. Hæc dixerim, non quod album fuisse *ELIÆ* Habitum negem, sed vt hæsitantibus occasionem murmurandi contra Ordinem præscindam. Post multos vero annos, cum Terra sancta in manus deuenisset infidelium, coacti sunt Fratres mutare Habitum, Saracenis id vrgentibus, *Carmelita* qui solis satrapis suis albam portare vestem licere existimabant. Publico igitur edicto Regis Fratres montis *Carmeli* album deponere Habitum compulsi sunt, & alium quemlibet assumere. Reiecto itaque necessario Habitum pristino, cappas virgulatas assumpserunt, qui duplicis coloris a septem partibus virgulatus extitit, quarum prima circa fissuram anteriorius alba fuit altrinsecus, sequens ab vtraque parte alba, & vltima in medio dorsi nigra. Tandem cum post annos non paucos malitia infidelium crescente de Terra sancta Fratres cogerentur recedere, denuo Habitum compulsi sunt immutare. Venientes enim ordinatione diuina in *Europam*, ne populis risum peregrino Habitum facerent, veterem Habitum resumpserunt, quo vsque in hodiernum diem in Ordine vtuntur. Denique, ne mutatio hæc cuiquam friuola videretur, auctoritate Summorum Pontificum mox legitur comprobata.

CAPVT VII.

Quare Carmelita Fratres dicantur B. Mariae semper Virginis de monte Carmelo.

Sed iam quærendum nobis est, quare tot sanctis nouis & antiquis Ordinibus prætermisissis, solus Carmelitarum Ordo B. Dei Genitricis titulo decoretur; cum ipsa nec Fundatrix illius extiterit, nec aliqua ei similitudine professionis subiecta. Quæ ergo causa fuit, vt *Carmelitae Fratres B. Mariæ semper Virginis* ab initio dicerentur? Nunquid fortuito casu, aut elatione aliqua inani fa-